

Lehrerbücher
der
Oberschule in
Köthen/Anhalt

Re: F.



Altkon

Rubr. VIII.

Nro. 386.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

IO. NICOLAI FROBESII

MATHEM. AC PHILOS. P. P. O.

ORATIONVM ACADEMICARVM

SVB MAGISTRATVS ACADEMICI AVSFICIVM ATQVE

FINEM HABITARVM

BIGA = Zweigespann.

QV ARVM ALTERA

MATHEMATICORVM
HELMSTADIENSIVM

MEMORIAS

ALTERA

PRORECTORATVS ACADEMICI

MATHEMATICA

ATQVE

EXPERIMENTA

COMPREHENDIT.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

Lehrerbücherei
der
Oberschule f. J.
München/Anh.
Rg/F.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like "PROBATION" and "MAY".

Handwritten or stamped text in the bottom left corner, including a date "1872" and a signature or initials.



PERILLVSTRI
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
OTTONI IOHANNI
DE WITTORF
EQVITI LVNAEBVRGICO
SERENISSIMI BRVNOVIC.AC
LVNAEBVRG. DVCIS
CONSILIARIO STATVS
SPECTATISSIMO
NEC NON
SERENISSIMI PRINCIPIS
HEREDITARII
EPHORO PRVDENTISSIMO
GRAVISSIMO



LITTERARVM

QVAE AD HVMANITATEM HVMANIQVE GENERIS
FELICITATEM SPECTANT

VT ET

LITTERATORVM

FAVTORI AC PATRONO

LONGE

HVMANISSIMO GENEROSISSIMO LITTERATISSIMO

SAPIENTISSIMO

MAECENATI SVO EXIMIO

ATQVE AD CINERES COLENDO

QVALEMCVNQVE LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

VELVT ANIMI DEVINCTISSIMI

MONVMENTVM PVBLICVM

ATQVE PERPETVVM

DAT DICAT DEDICAT

IO. NICOLAVS FROBESIVS

DVNCANI LIDDELI,
HENR. SCHAPERI, IO. A FELDEN
ET
SIGISMVMDI HOSEMANNI
PROFESSORVM QVONDAM IN ACADEMIA IVLIA
MATHEMATICORVM
MEMORIAE

SVB MAGISTRATVS ACADEMICI AVSPICIVM

D. XXVI. IVNII AN. MDCCXLVII.

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

ORATIONE SOLENNI

RESVSCITATAE

IO. NICOLAŌ FROBESIO

MATHEM. AC PHILOS. P. P. O.

HELMSTADII

TYPIS FAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

HANNOVERI LUDWIGII
HENR. SCHWARTZ, JO. A. FLEDER

SIGISMUNDI ROSEMANNI
PROFESSORIS ORDINIS IN ACADEMIA
MATHESIAE

M. M. O. R. T. A.

IN MATHESIAE ACADEMIA

IN ACADEMIA
MATHESIAE

ORDINIS

PROFESSORIS

IO. NICOLAUS FROBESIO

PROFESSORIS

HELMSTADII

PROFESSORIS

ORDINIS

VIR MAGNIFICE,
 SPECTABILES ORDINVM DECANI,
 ILLVSTRES ATQVE EXCELLENTISSIMI
 PRAESTANTISSIMARVM QVARVMVIS SCIEN-
 TIARVM DOCTORES AC PROFESSORES,
 FAVTORES ET COLLEGAE
 VENERANDI,
 HOSPITES SVMME VENERABILIS, HONORATISSIMI
 ATQVE EXOPTATISSIMI,
 CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE,
 COMMILITONES ATQVE AMICI
 LONGE SVAVISSIMI.



quod maxime venerandorum ACADEMIAE
 IVLIAE CAROLINAE SENATORVM
 suffragiis, auctoritate principali clemen-
 tissime adprobatis, solenniter nunc de-
 mandatum mihi est prorektoris academici
 officium, quanquam satis per se magnifi-
 cum et iucundum, imo vero gloriosum
 quodammodo ac desiderabile videatur;
 idem tamen, pro praesenti rerum statu,
 sic, nisi me omnia fallunt, comparatum est, ut, quid
 vel sperandum mihi sit, vel pertimescendum, ipse-
 met fere nesciam. Est apud nos in more positum in-
 stitutoque maiorum, ut Theologi Jctis, Jcti Medi-
 cis,

A

cis,

cis, Medici Philosophis, Philosophi denique Theologis magistratum academicum tradant. Sed, o miserabilem rerum vicissitudinem! atque o tristem IULIAE CAROLINAE faciem! hodie, perturbato velut ordine atque inaudito prorsus exemplo, Theologus philosopho academici magistratus insignia tradere necessum habuit, morte praematura extinctis duobus decessoribus proximis, Viro nempe, dum viveret, Magnifico, Illustri atque Excellentissimo IO. FRID. CRELLIO, philosophiae ac medicinae Doctore, anat. physiol. ac pharmaciae Prof. P. O. nec non Viro, dum in vivis esset, Jurisconsultissimo, Illustri atque Excellentissimo IO. WOLFG. KIPPINGIO, iur. ac philos. D. eiusdemque ac histor. Prof. P. O. Quorum hic quidem vix dum quatuor septimanis a deposito litteratae civitatis huius praesidio confectis, iste vero inter medias academici magistratus curas atque occupationes de vitae statione iussu divino decesserunt, tristi profecto nobilis doctrinae, virtutis, ac prudentiae suae desiderio nobis omnibus relicto. Quae me maxime nunc ad alacriter & cum laetitia suscipiendam reipublicae curam excitare debebant, feliciter & cum laude gesti magistratus academici exempla recentissima, ea funestis, proh dolor! in tumulis, non sine maximo meo dolore, pridem iacent abscondita. O igitur luctuosum ac parum desiderabile, quid quod continua propemodum mortis cum meditatione copulatum prorektoris academici officium!

Sed nolo tamen ego vel temporum fatales iniurias, vel academiae nostrae calamitates, vel meam deni-

denique fortunam morose nunc queri; qui rite consideratis omnibus intelligam, ad vincendam aut moderandam, quacum semper nobis belligerandum est, fortunam nihil omnino praestabilius esse, nihil salutaris, quam in divina providentia ac voluntate acquiescere: qui item cum divino PLATONE persuasum habeam, *philosophiam*, cuius equidem doctorem me profiteor, *imo vero vitam sapientis omnem in meditatione mortis esse positam*.

Licet vero praeter hanc ipsam philosophicae mortis meditationem, nec non bene de republica merendi sincerum studium, vel nihil omnino, vel parum in me deprehendam eorum, quae ad digne tuendam atque amplificandam litteratae civitatis huius salutem ac gloriam necessaria sunt; de felici tamen rerum successu exoptatoque studiorum ac desideriorum nostrorum fructu tantum abest, ut penitus ego desperem, ut potius optima quaevis sperare ac polliceri audeam: si modo Numinis divini benignitatem, Serenissimi CAROLI nostri clementiam, vestram, PATRES CONSCRIPTI, benevolentiam, vestram denique, CIVES STUDIOSI, humanitatem, qua possum, pietate atque animi contentione, satis efficaciter exorare valero.

Sed prius tamen, quam facere id ipsum institutam, id mihi datum existimo esse, ut more consueto, & quemadmodum sapientissimus ACADEMIAE CONDITOR lege sancivit, argumentum aliquod, academiae conditioni ac dignitati congruum, breviter exponam. Dicere igitur constitui de DVN-

CANO LIDDELIO, HENRICO SCHAPERO, JO. FELDENIO, & SIGISMUNDO HOSMANNO, *nostrae huius academiae quondam professoribus mathematicis*, hisdemque non solum ingenii & doctrinae, sed cum primis etiam prudentiae scholasticae decenterque gesti magistratus academici laude insigniter nobilitatis. Minus equidem copiosa erit, fateor, mea oratio; minus item splendida: interim vestra, AUDITORES, cum in ipsam academiam IULIAM CAROLINAM huiusdemque doctores pristinos iustissima pietas, tum & in me singularis benevolentia haud exiguam, spero, audientiam mihi conciliabit.

Ex undecim illis, qui matheseos disciplinam in academia IULIA docuerunt, professoribus quatuor priores, M. PEGELIUM puta, ERH. HOFMANNUM, SIM. MENCIVM, & FRANC. PARCOVIUM oratione natalitia nupera celebravimus. Veniendum igitur nunc est ad quintum in ordine isto, DVNCANVM nempe LIDDELIVM, Aberdonensem Scotum: qui similiter, ut FRANC. PARCOVIVS, singulari doctrina & sollertia sua effecit, ut duplicato velut splendore in academiae IULIAE fastis etiamnum coruscet. Neque enim solum in doctrinis mathematicis atque omni philosophia, sed in medicina quoque virum, aut si mavis, exquisitum doctorem se se is praestitit: dignus sane, qui a viris laudatis maximo opere laudetur. Atque ut nihil nunc de eo dicam, IAC. PHILIPP. TOMASINVM, Italum, Aemoniensem Episcopum, perquam elegantem doctorum viro-

*Dunc.
Liddelius.*

virorum spectatorem ac laudatorem istum, in *parnasso euganeo, sive de scriptoribus ac literatis aevi sui claris* libro, ut & CONRINGIVM nostrum, seculi sui phoenicem, eo volumine, quod *introducio in artem medicam* nominatur, praeclare admodum de LIDDELIO sensisse; CASELIVS certe, Helmstädiensis ille Socrates, vivo adhuc, sed in patriam, relicta IVLIA, reverso, egregium honoris monumentum posuit (a); imo vero qua data cunque occasione ad eisdem laudes sic digressus semper est, ut non satis laudari posse LIDDELIVS videatur. Id saltem dubio caret, virum suo merito in iis numerari medicis, qui eleganter & solide docti sunt, vindicesque humanitatis. Nostrum nunc est, strictim memorare illa, quae circa LIDDELIJ doctrinam ac virtutem memoratu imprimis digna videntur. Gentilitia nimirum, qua Scoti, BARCLAIO iudice, gaudent, ingenii subtilitas exterarumque regiones videndi cupiditas sine dubio effecerunt, ut, rite positus in Aberdonensi schola matheos atque humanioris doctrinae rudimentis, LIDDELIVS, tum (b) adolescens, in academiam Viadrinam commigraret. Benigniter idem hic exceptus est a IO. CRAGIO, populari suo, regio postmodum archiatro, atque in annum fere tertium cum in omni philosophia, tum in mathefi quoque ac medicina fideliter institutus; dehinc vero sub ipsius

A 3

disces-

(a) in *epistola ad IO. CRAGIVM, regis Britan. archiatrum*, Helmstädi 1606. cal. Maii scripta, & DVNC. LIDDELIJ *arti medicae* praefixa.

(b) an. scil. 1579.

discessum in patriam ANDREAE DV DITHIO, cultissimo ac multiplicis doctrinae mathematico, apud Vratislavienses tunc degenti, humaniter admodum commendatus. Haud contemnendis apud DV DITHIVM, ac PAVLVM quendam WITTICHIVM, Vratislaviensem civem, in mathesi factis progressibus, Francofurtum reversus LIDDELIVS non strenue tantum colere artem salutarem, sed aliis etiam explicare EVCLIDEM, PTOLEMAEV M & COPERNICVM, nec sine plausu quodam, instituit. Confecto sic triennio, dissipatis propter pestem studiosis, circiter octuagesimo septimo sec. XVI. anno Rostochium abiit iuuenis ille doctissimus, gratus inprimis cum IO. CASELIO, tum & inprimis HENRICO BRVCAEO, iam tum alias (c) nobis laudato, ingeniorum censori sagacissimo. Qui quidem, licet ipsemet mathematicum esset scientissimus, tamen astronomica quaedam se ab eo didicisse confessus est ingenue. (d) Suscepta, quam Rostochiensis academiae philosophi ultro ipsi deferebant, laurea philosophica, plus simplici vice vel cursu doctrinas mathematicas, cum primis vero theorias planetarum, commissis in invicem PTOLEMAEI & COPERNICI hypothesibus, quod fortassis nemo ante eum apud Germanos fecerat, exposuit. Adscitus postea in consortium equestris ordinis iuvenum Livonorum primo Francofurtum, mox in nostram hanc academiam concessit.

Com-

(c) in orat. de MAGNO PEGELIO, ERH. HOFMANNO &c. Id. Octobr. an. 1746. habita.

(d) vid. IO. CASELII *epistola* superius litt. a. cit.

Commodum eo tempore e) altera mathematici provincia, PARCOVIO nempe in medicorum ordinem recepto, vacabat. Quae ut LIDDELIO committeretur, sincera CASELII, cuius quidem perpetuus maximeque familiaris domesticus ille fuit, nec non HENR. GRÜNEFELDII, JCTi, commendatione factum est. Succesit igitur LIDDELIVS primum PARCOVIO, habitis nimirum speciminis loco partim oratione, partim disputatione; successit idem ex intervallo & alteri mathematicum doctori (f), ERHARDO HOFMANNO, apud nobiles Bartislebios in vicina defuncto. Hic ille primum, teste quidem CASELIO, testibus item factis academicis, ut in academia recens condita ex ipsis fontibus, EVCLIDE nimirum, PTOLEMAEO, COPERNICO, TYCHONE BRAHEO, POMPONIO MELA, nunc geometriam, nunc astronomiam, nunc geographiam universam exposuit; semper etiam planetarum ac motuum coelestium theorias secundum triplicem hypothesein proposuit. Itaque mirificam propeque invidiosam IVLIAE academiae gloriam conciliavit. Tum ordinis quoque philosophici ipsiusque philosophiae sincerioris dignitatem usque adeo cordate cum quibusdam aliis in controversia Hofmanniana noster propugnavit, ut nemo fere dignius. Quoniam autem in eo quoque totus dudum fuerat LIDDELIVS, ut mathematicam seu philosophicam, hoc est, veram atque exactam medicinae disciplinam cum ipsemet haberet, tum aliis etiam traderet, collegarum suffragiis

(e) an. 1591.

(f) an. 1594.

giis & decreto PRINCIPVM in ordinem medicorum idem transiit, (g) decoratus eodem anno doctoris medici honoribus ac privilegiis. Quis autem miretur, AVDITORES, medicum mathematicum se se praestitisse parique medicinam ac mathesin cum felicitate tractasse LIDDELIVM, quum maxima utriusque disciplinae necessitudo sit atque adfinitas? *Tamen si igitur*, verba sunt CASELII (h), *nemini collegarum se is praeferreret, nemine tamen in hac dignitate se inferioriorem gessit.* Documento esse possunt exasciatae disertationes istae, ex quibus elegans *artis medicae* systema quoddam (i) subnatum est, laudatum omnibus, qui praeclare sapiunt. Quum semel atque iterum in Britanniam, salutato semper iuxta Daniam TYCHONE BRAHEO, celebri astronomo, navigasset LIDDELIVS, sive CRAGII atque amicorum hortatu, sive amore patriae naturali, sive lautiori Aberdonensis academiae recens instauratae statu, sive aliis causis factum est, ut apud suos ille tandem vivere mauerit. Festive CASELIVS, ni fallor: (k) LIDDELIVS, inquit, *mathematum scientissimus, de nostra iuventute optime meritus, in hoc errasse credi potest, quod in patriam redire maluit . . Vellem academia vel invitum tenuisset ob publicum bonum & decus ordinis medicorum*

(g) an. 1596.

(h) in *epistola* superius litt. a. citata.

(i) Prodiit idem sub titulo *ars medica succincte & perspicue explicata* Hamb. 1607. 8. it. iuxta exemplar, quod ipsemet auctor ante obitum innumeris in locis sua manu correxerat, recusa. acc. eiusdem tract. de dente aureo pueri Silesii contra HORSTIVM: ex museo IOACH. MOR SII tunc primum prolatus, Hamb. 1728. 8.

(k) in *epistola* saepius iam laudata.

rum. (1) Semel academiae Juliae prorektor (m), bis philosophici, aliquoties medici ordinis decanus fuit LIDDELIVS. In decanatu philosophico viginti candidatos, quos inter IO. NENDORFIVS, Scholae Goslariensis rector meritissimus, HENN. ARNISAEVVS & IO. WOLFIVS, medicinae postea professores celebres, exstiterunt, liberalium artium magistros & philosophiae doctores creavit. Nolo nunc prolixus esse in recensendis ingenii eius monumentis: exoptaverim potius, ut ex divite medicorum & mathematicorum operum ineditorum thesauro isto, quem, FROBENIO bibliopola erudito teste, LIDDELIi ingenium Aberdonensi academiae legavit, bene multa in lucem prodissent. Ceterum anno superioris seculi octavo & vigesimo jam tum vita functum fuisse LIDDELIVM, haud obscure patet ex FROBENII modo laudati ad PATRITIVM DVNAEVM *epistola*, quae *arti medicae* Liddelianae, Hamburgi dicto anno cum accessionibus & tractatu *de dente aureo pueri Silesii* recusae, praemissa legitur.

Quamquam autem LIDDELIVS praeter artem medicam, cuius is inde ab anno 1596. professor publicus fuerat, mathematica quoque superiora in annum usque 1603. impigre explicavit; tamen quum medicinae studia & tyronum medicorum desideria magis paullatim ac magis ipsum occuparent, tempestive ipsi HENRICVS SCHAPERVS succenturiatus esse memoratur. Is patria Alfeldensis, honestis parenti-

*Henricus
Schaperus*

B

bus

(1) *conf. progr. sub funus* FRANC. PARCOVII *an. 1611. p. p. cuius*
auctor sine dubio fuit IO. CASSELIVS.

(m) an. 1604.

bus natus, liberaliter ac pie educatus, & in hac nostra academia eorum mathematicorum, qui haecenus a nobis laudati sunt, manu ductione rerum mathematicarum studiis naviter est innutritus. Igitur quem circa an. 1590. primo inter VIII. philosophiae candidatos loco philosophiae magistrum creaverat HENR. MEIBOMIVS, admirabilis ingenii poeta atque historicus, hunc matheleos professorem, principali auctoritate constitutum, in ordinem philosophorum CORN. MARTINVS, princeps eius aetatis philosophus, anno 1601. more consueto recepit. Ab eo inde tempore laudabiliter provinciam suam sustinere atque ornare SCHAPERVS studuit: quum is modo geometriam atque arithmetica, EVCLIDIS ductu, modo sphaericas atque theoricis astronomorum doctrinas secundum COPERNICI sententiam, modo geographiam juxta POMPONIVM MELAM lectionibus publicis, quoad eius fieri poterat, fidelissime explanavit. Sunt etiamnum in manibus nostris praelectionum istius specimina quaedam sane haud contemnenda: quae dubium non est, quin lucem publicam vidissent, nisi tempestatis illius iniquitas & fortassis aliae rationes obstitissent. Egregiam artis dicendi facultatem in ipso fuisse, vel vna commentatio illa demonstrat, qua Serenissimi Ducis, HENRICI JVLII, mortem publico nomine is deploravit. Bis magistratum academicum, septies decanatum philosophicum, utrumque laudabiliter idem administravit: quatuordecim candidatis laurea philosophica exornatis; quorum

certe

certe plerique iam tum vel sacro vel scholastico munere quodam fungebantur. Neque enim satis dignus vel ecclesiae pastor, vel scholae rector eo tempore quasi publicum haud vulgaris doctrinae symbolum vel documentum, in academia idem esset consecutus.

Obiter hic observamus, *intra quinque priora, quibus academia IULIA floruit, decennia fere quingentos, proinde singulis decenniis centenos circiter artium magistros seu philosophiae doctores ritu solenni creatos esse ac renunciatos.* Quam misera vero tunc propter turbas bellicas ac pestilentiam, uti ceterarum Germaniae academiaram fere omnium, sic optimae quoque IULIAE nostrae conditio fuerit, exinde manifestum videtur, quod iam iam laudato SCHAPE-RO, qui senectutis ac caecitatis morbo aliquandiu iam tum laboraverat, d. IX. Octobris anno superioris seculi nono et vigesimo, paulloque post NIC. ANDR. GRANIO vita defunctis, solus fere IO. HENR. SCHEURLIVS ex professoribus ordinis philosophici superstes vixit. Itaque mathesis una cum plerisque aliis philosophorum disciplinis, quid quod ipsa eloquentia per aliquot annos integros inter musas Helmshadienses siluit.

Sed facilem tamen atque expectatione fortassis commodiorem fata tristia viam invenerunt, susceptoque vigore novo reviviscere paullatim visae sunt musae Iuliae, postquam HERM. CONRINGIVS

et CHRISTOPHORVS SCHRADERVS, phoenicesseculi sui nobiles, divino munere providaque SERENISSIMORVM PRINCIPVM cura doctores illis obtigerunt. Namque horum praecipue consiliis, ad ILLVSTRES SERENISSIMORVM NVTRITORVM MINISTROS, visitandae atque instaurandae academiae causa circa annum superioris seculi septimum ac trigessimum delegatos perscriptis, factum est, ut complures iidemque ab ingenio et doctrina maxime commendabiles sapientiae doctores novi, nominatim ANDR. KINDERLINGIVS, IO. BRENNECIVS, et IO. A FELDEN philosophiae studiis atque studiosis praeficerentur. Quam laudabiliter equidem quantoque cum profectu in docendis atque excolendis litteris graecis BRENNECIVS, in logicis KINDERLINGIVS, in physicis ac politicis CONRINGIVS, et in rhetoricis denique SCHRADERVS per omnem suam vitam laboraverint, alias, deo volente, memorabimus. Nunc enim FELDENIVS, Halensis Saxo, magni nominis mathematicus et ICTus, Serenissimique Principis Anhaltini Servestani Consiliarius intimus, nobis est spectandus, quaeque sint ipsius cum in disciplinas mathematicas, tum et in academiam IVLIAM atque universam rempublicam litterariam merita, breviter ostendendum.

Jo. a
Felden

Neque vero simulatas vel iniustas esse, quae a summis viris quibusdam, PLACCIO (n) nimirum,

THO-

(n) Vid. *vita ipsius* a J. A. FABRICIO scripta eiusdemque *theatro* anony-

THOMASIO, (O) ROSENFELDIO, (P) GRUBERO, (Q) WEIDLERO (R) atque aliis passim ipsi tribuuntur, laudes, vel maxime brevis etiam studiorum ipsius atque ingenii monumentorum recensio manifestabit. Dubiam FELDENIVS, imo vero nullam et flagitiosam propemodum nobilitatis atque opulentiae gloriam existimabat, nisi cum virtutis sapientiaeque studio eadem sint copulatae. Quam faultricem igitur in tribuendis animi dotibus naturam is habuerat, tam quoque generosam ac strenuam idem in tractandis, quae ad humanitatem spectant, cumprimis vero matheos ac philosophiae disciplinis sollertiam a prima inde pueritia adhibuit. Neque enim exfatiari vel exstingui scientiae cupiditas, nec defatigari animus apud eum poterat, qui excellere in scientia pulchrum, nescire autem ac labi & malum & turpe duceret. Maximas subinde praeceptoribus suis, quod strenue ipsum ad matheos disciplinas tractandas hortati sint, gratias noster habuit; sibi met vero impense gratulatus est, quod fideliter monitis ipsorum paruerit; coërcentibus licet patronis incensum in-

B 3

cundi-

anonymorum ac pseudonymorum, Hamb. 1708. fol. ed. praemissa. conf. J. F. REIMMANNI *Einleitung in die Histor. litterar. Vol. IV. pag. 622. sqq.*

(o) in *colloquiis mensr. an. 1689. m. Decembr.* p. 1017. sq. add. B. G. STRUVII *biblioth. philos.* cap. IV. §. XIV.

(p) in *praefat. commentarii de actionibus real.* inferius laudati.

(q) in *praefat. tomi prodromi commercii epistol. Leibnitiani. Hannover. & Götting. 1745. 8. mai. ed.*

(r) in *historia astronomiac* (Viteb. 1741. 4. ed.) cap. XV. sec. XVII. §. 83.

cunditate illarum disciplinarum ac flagrantem animum, quasi vehementius, quam caute eadem adpeteret. (s) Summus iste FELDENI erga haec studia amor effecit, ut non modo peradolescensulus mathematica, quae dicuntur, inferiora in academia Vitebergensi, quam is studiorum suorum magistrum tunc habebat, commilitonibus suis idem traderet, sed ipsemet quoque interim ad superiora feliciter progrediretur. Haud exiguum eo tempore Leucorea gloriam consecuta erat ab AMBROSIO RHODIO atque ERASMO SCHMIDIO; quorum hic quidem, praeter graecas litteras, mathematica inferiora, iste vero, praeter artem medicam, mathematica superiora docebat, scriptis ac meritis utrique celebres. (t) Horum igitur exemplis atque institutis ad summa quaevis contendere FELDENIVS ex sententia poterat: quum praesertim is philosophiae studia IAC. MARTINI, IO. SCHARFII & SPERLINGII, summorum eius aetatis philosophorum, ductu mathematicis adiungeret, maximeque salutarem istam, quae mathematicorum quasi propria est, dogmata quaevis demonstrandi sollertiam a disciplinis mathematicis traducere ad philosophiam omnem studeret. Opportune idem in memoriam sibi revocabat. praecepta organi Aristotelici, quae, ut pueri

ver-

(s) Vid. eiusd. *praefatio, annotatis ad H. GROTIUM de iure pacis & belli, cum responsonibus ad stricturas GRASWINCKELII. Jenae 1663. d. recusus*, praemissa.

(t) Conf. ANDR. SENNERTI *Athenae atque inscriptiones Vitebergenses. libri II. Viteb. 1655. 4. ed.*

versus EMPEDOCLES, in schola patria recitare didicerat, auctoque per aetatem iudicio, in formam, uti vocant, syllogismi compositas mathematicorum demonstrationes ad ea examinabat. (u) Singularis industria haec famam, fama patronos conciliabat ac promotores. Academiae Juliae certe professores, utpote quibus tanquam artificibus in arte sua novos collegas nominandi facultas a SERENISSIMIS ACADEMIAE NVTRITORIBVS concessa olim fuit, FELDENIVM inprimis dignum censebant, cui mathesin docendi provincia dudum vacua committeretur. Dictum factum. FELDENIVS anno superioris seculi octavo & trigesimo mense Augusto a JO. HENR. SCHEVRLIO, facultatis philosoph. tunc decano atque academiae simul prorectore, in collegium professorum cooptatus atque anni subsequenti mense Junio, una cum JO. BRENNNECCIO, graecae linguae professore, a CHRISTOPH. SCHRADERO doctoris philosophi honore solenniter decoratus est. Qui ut patronorum et collegarum de se conceptam spem egregiam ne falleret, non modo praeclara quaevis mathematicorum dogmata, sed, quod palmarium videbatur, insignem etiam disciplinarum mathematicarum in demonstrandi vel digne philosophandi arte consequenda utilitatem cum praelectionibus suis academicis, tum libris quoque in lucem editis, fideliter et quam exactissime docuit: philosophandi libertatis suasor et vindex acerrimus; sed idem tamen

(u) Conf. praefatio sub litt. s laudata.

honestus plane et cumprimis generosus: qui com-
pertum haberet, veritatis comitem calumniam, vir-
tutis invidiam esse; utrisque interim, si moderate
quidem ferantur, mirum quantum nobilitari viros
cordatos posse. In scriptis eius mathematicis prin-
cipem locum obtinent ea, quibus *ars geometrica, do-
ctrina sphaerica*, atque *architectura militaris* conti-
nentur. (x) Praelectiones eiusdem publicae id sibi
peculiare habent, quod aliquoties *arti musicae* semel
etiam *astrologiae divinatoriae* fuerunt destinatae, ea scilicet
cum moderatione, quae mathematicum decebat.

Vice-Rectoris munere semel, decurionis inter
philosophos quater, utrisque prudenter et cum lau-
de perfunctus est. Decanatum alterum, qui in an-
num superioris seculi quadragesimum quartum in-
cidit, nec non quartum, circiter novennio post ad-
ministratum, duo prae ceteris laureae philosophicae
candidati nobilitarunt; quos ipsos equidem nomi-
nasse erit laudasse. Alter eorum fuit IOACHIMVS
HILDEBRANDVS, patria Walckenredensis, poeta
laureatus caesareus; alter fuit ANDR. FRÖLINGIVS,
patria Northeimensis. Vtrique postmodum IULI-
AM nostram partim doctrinis, partim scriptis suis
mirifice illustrarunt. Neque vero apud mathematicos
solum, sed cumprimis etiam apud ICTOS et philoso-
phos studiis ac libris suis sane haud vulgaribus exi-
miam FELDENIVS consecutus est celebritatem.

Nolo

(x) Vid. *index scriptorum eius* circa finem commentationis huius
exhibitus.

Nolo equidem, quum brevitati studendum sit, atque ut falcem in messem alienam immisisse ne videar, singula heic percensere, quae de rebus ad philosophiam ac iurisprudentiam pertinentibus ab eodem conscripta atque in lucem edita sunt, volumina; (y) interim silentio praetermitti neququam debent ea FELDENI circa hasce disciplinas studia atque instituta, quae mathematico ipsius ingenio quadantenus accepta referenda sunt. Ut breviter ac summam, quod res est, dicam, sic omnino velim habeatur: constitutum FELDENIO nostro fuisse diu multumque desideratam atque ab AZONIBVS, CVIACIIS, WESEMBECCIIS, PACIIS, VVLTEIIS tentatam quidem, sed nondum confectam iuris ac legum philosophiam, aut, si mavis, iurisprudentiam scientificam vel accuratam informare (z). Neque enim, quum demonstrandi artifex & Jctorum disciplinis innutritus esset, ignorare is poterat, communiter iurisprudentiam per compendia rituque dialecticorum, vel per dichotomias, vel & secundum quatuor causarum genera, magis scilicet ad persuasionem ac memoriam, quam ad solidam scientiam iustamque ratiocinationem tractari; imo vero neglectis vel ignoratis generibus legum causis, propter contrarias doctorum opinio-

C

nio-

(y) Vid. *ibidem*.

(z) Prolixe suum hoc institutum ipsemet FELDENIVS exposuit iis *praefationibus*, quae *annotatis in GROTIUM*, item *analyssi librorum politicorum ARISTOTELIS*, nec non *clementis iuris universi* praefixae leguntur. add. ROSENFELDIVS in *praefatione* libri inferius citati.

niones, incultam quodammodo iacere ac disturbatam. Itane vero a mathematico expediri perplexa JCtorum studia quaeso poterant? aut fortassis ex EVCLIDE repeti debebant iuris principia? Alterum hoc a malevolis, quasi FELDENIVS sic statueret, factis licet iocularia criminatione fingebatur. Alterum illud insolens quidem est & paradoxum, minime vero falsum aut absurdum. Neque enim ad iuris philosophiam, aut solidam legum, quibus hodie in Germania utimur, scientiam adspirare quisquam potest, nisi is prima eademque genuina singularum principia peruestigaverit. Digne autem peruestigari principia isthaec non nisi ab illis possunt, qui cum exquisitarum antiquarum notitia eximium demonstrandi vel ratiocinandi habitum coniunxerint. Demonstrandi vero habitus quis quaeso esse sine artis analyticae praeceptis atque exercitationibus potest? quaeve tandem demonstrationes luculentae magis sunt magisque solidae mathematicis? Noverat FELDENIVS, *maxime quidem discrepantia vulgo reputari mathematicorum atque JCtorum uti studia, sic ingenia quoque; sed mirifice tamen utraque, si iustae ratiocinationis leges atque artem spectaveris, inter se invicem congruere.* Idcirco is, generose contemptis censorum iudiciis, quum praesertim nec forum, nec subsellia, nec curiam, nec aulam, sed philosophiam iuris meditaretur, id unice curavit, ut secundum artis analyticae praecepta genuinas legum quarumcunque causas non ipsemet tantum exploraret, sed fideliter etiam ad easdem quaerendas & cognoscendas studiosos manuduceret. De-
center

center autem rituque in academiis recepto id ipsum ut fieret, doctoris in utroque iure titulum ac privilegia circa annum superioris seculi quinquagesimum secundum a Rintelensium Jctorum ordine noster petit, iisdemque cum adplausu impetratis, nunc ARISTOTELIS *politicam*, nunc HVG. GROTII *de I. B. & P. commentarium*, nunc *hermeneuticam*, sive *orationes quascunque*, inprimis autem *leges romanas rite interpretandi artem*, nunc ipsa *iuris universi, cum primis autem romani elementa*, perpetua analyfi vel ratiocinatione adhibita, eiusmodi iuvenibus exposuit, qui non tam *legum peritiam seu leges recitandi facultatem, quam potius legum scientiam, hoc est, leges quasvis recte & secundum genuinam ipsarum vim seu potestatem interpretandi prudenterque ad casus singulares adplicandi artem* fitiebant. Possent ex iisdem, praeter CLASENIUM, & RACHELIUM, Juliae nostrae quondam Professores, bene multi alii meritis & doctrina illustres Jcti heic memorari, si opus esset viro satis iam per se laudato a discipulis laudem quaerere. (aa) Tametsi vero singularis libertas ista, qua in examinandis castigandisque doctrinis Grotianis usus est FELDENIVS, doctorum quorundam reprehensionem effugere, propter summam GROTII auctoritatem & gloriam, minime potuit; (bb) tantum tamen abest, ut iuste re-

C 2

pre-

(aa) Conferatur MATTHAEI STIERII J.V.L. *praefatio*, quam is JO. a FELDEN, Anhaltini Consil. intimi, *compendiosae manuductionis ad iurisprudentiam rom. sectioni primae*, Helmst. 1683. d. editae, praemittit.

(bb) Sic enim GOTTL. STOLLIVS *introducet. in histor. liter. P.* III. c.

prehendi noster queat, ut laudem potius mereatur
 eximiam. Humani aliquid passum identidem fuisse
 maxime licet divinum GROTHII ingenium, quis re-
 rum intelligens quaeso negaverit? (cc) Explorandae
 veritatis causa, (dd) quodque palmarium videtur,
 modeste non minus, quam adcurate iustisque argu-
 mentationibus disputatum esse a FELDENIO, ipsa
 libri lectio manifestat. Ut sincere, quod res est, di-
 cam, non censurae falsitas, sed studiorum atque in-
 geniorum disparitas, & fortassis invidia quoque, nec
 non ARISTOTELIS, cui quidem noster, sed cum
 iudi-

III. c. II. §. VI. JO. a FELDEN adnotationes (ad GROTHIVM)
 subtilitates sunt Aristotelicae, quas nemo facile adspiciet. On n'
 a jamais rien vu de plus pitoyable, inquit BARBEYRACUS. Haud
 abfimiliter celeb. L. M. KAHLIVS iudicavit, dum in bibliob.
 philos. Struv. Goettingae 1740. 8. mai. ed. tom. II. c. III. §. II.
 nota e. sic scribit: inani gloriae litare videbatur a FELDEN;
 eam unice ob causam redarguens GROTHIVM, quoniam ab ARI-
 STOTELE, quem servili obsequio venerabatur FELDEN, ma-
 gna ex parte discesserat. Add. IO. ARNDII Specimen de HVG.
 GROTHIO a commentatoribus I. B. & P. aliisque immerito vapu-
 lante (Kostoch. 1712. 4.) c. I. §. 13. 16. it. c. II. §. 28 sqq.

(cc) Haud omnino fallitur FELDENIVS, quando in praefat. an-
 notatt. ad GROTHIVM sic statuit: non exacte omnia vidisse GRO-
 THIVM nullus dubito, idque hac ratione mihi persuasum habeo.
 Sunt enim tria, ex quibus absolutus philosophus aestimandus
 est; experientia rerum, sagacitas in conticiendis causis, et sci-
 entia demonstrandi: non diffiteri vero possum, magnum illud et
 experientia et donis naturae instructum GROTHII ingenium
 artificio demonstrandi caruisse.

(dd) FELDENIVS c. l. huc, inquit, meus labor tendit, ut ante-
 quam scientiam aliquam de iure gentium conscribam, illudque a
 primo deducam fonte, cum eruditis quibusdam circa ea, quae a
 summo viro HVG. GROTHIO hoc in studio conscripta sunt, di-
 ceo tandem, quod verum est, adhibito demonstrandi artificio,
 dicere & exprimere deceat. Et sic porro.

iudicio tamen favebat, ignominia censori nostro odium peperit atque criminationes. Quas ipsas tamen generoso contemptu superare, quam libellis vindicare FELDENIVS maluit. Vni interim THEODORO GRASWINCKELIO, Jcto Delphensi, qui *stricturis* suis (ee) vindicare GROTII doctrinas studuit, in *annotatis ad Grotium iterum editis*, (ff) sic responsum est a FELDENIO, ut GROTII sui causam deserere, quam porro infeliciter agere satius idem putaverit. (gg) Ceterum FELDENIVS ut philosophicis circa iuris-

C 3

rispru-

(ee) Amstelodami an. 1654. d. ed.

(ff) Jen. 1663. d.

(gg) Spectat huc D. G. MORHOFIVS, dum *polybist.* tom. III. L. VI. S. I. §. 5. sic pronuntiat: *scripsit & in GROTIUM stricturas* IO. FELDENVS, *quas data occasione edidit* (vel potius memoravit atque examinavit,) *olim BOECLERVS. Refutavit* THEOD. GRASWINCKELIVS, *nondignus tamentanti viri hyperaspistes.* IO. GRÖNINGIVS *in bibliotheca iuris gentium Europaea* (Hamb. 1703. 8. ed.) *lib. III. c. V. §. XVIII. primus*, inquit, *in hos (GROTII) libros stricturas scripsit* IO. FELDENVS, *gravissimus GROTII censor: contra quas infeliciter HYGONEM vindicavit* THEODORVS GRASWINCKELIVS. *Institit autem FELDENVS methodum eruditam inquirendi, quaenam sint iuris naturalis, id enim tutius visum, quam definire ipsum ius naturale. etc.* Recentissime omniumque planissime hoc quicquid rei est IAC. BRVCKERVS, vir undiquaque litteratissimus, existimasse videatur, quum in *historia critica philosophiae tom. IV. part. alt.* (Lipf. 1744. 4. ed.) pag. 740. sic statuit: *primus, qui annotationes in GROTIUM scripsit, fuit IOANNES FELDEN, iureconsultus Helmstadiensis, cuius alio quoque loco mentionem fecimus* (in *bioth. iuris imperant. c. 1. pos. 3. §. 1. seq.*) *Is cum insigni Peripateticae philosophiae cognitione gauderet, ferre autem non posset, GROTIUM, licet magnis encomiis ARISTOTELEM cumulasset, ab eo in haud paucis discessisse, castrigare GROTIUM, & ad disciplinam Peripateticam emendare*

consti-

risprudentiam speculationibus suis vacare eo commodius posset, secessum quaesivit, adeptaque a SERENISSIMIS ACADEMIAE IVLIAE NVTRITORIVS honesta missione, *Neukircham* in praedium suum, Halae Saxonicae propinquum, circa annum superioris seculi quintum & quinquagesimum Helmstadio migravit: postquam mathematici professoris munus per XVII. annos laudabiliter sustinuerat. Sed condita tamen esse ab illo extra academiam academia videatur: quum sibi inde is decem vel complures etiam studiosos iuvenes in contubernio suo haberet, qui sapientiae nec non iurisprudentiae studii ductu ipsius operam navabant. Honoris causa nominandi ex his sunt VINC. PLACCIVS, (hh) & item CASPAR

CÖR-

constituit. Hunc enim sibi scopum in annotationibus in GROTIUM, Amstelodami 1653. editis, constituit, quae stricturas & vindicias Aristotelicas continent. A cuius censura liberare GROTIUM voluit THEODORVS GRASWINCKELIVS, Iureconsultus Delphicus, editis stricturis ad censuram Ioannis a Felden, ad libros GROTII de iure belli & pacis, ast invita Minerva in eis vindiciis est versatus. Habebat enim adversarium non philosophiae quidem eclecticae, ast disciplinae tamen Peripateticae exacte peritum, dubiisque ferendis & disputationi acriori aptissimum, cuius ictus excipere & retundere satis GRASWINCKELIVS non noverat, unde FELDENIVS in iterata scripti sui editione, cui responsiones ad stricturas GRASWINCKELII inseruit, ita eum deprexum dedit, ut respondere amplius noller. Add. G. E. BEYERI de auctorum iuridicorum notitia schediaasma. Lipf. 1698. 8. pag. 22.

(hh) Vid. VINC. PLACCII vita, anonymorum & pseudonymorum theatro, Hamb. 1708. fol. ed. I. A. FABRICIO auctore praemissa. add. IAC. FRID. REIMMANNI *histor. litter. vol. IV.* pag. 622. seqq.

CÖRBERVS: (ii) quorum hic quidem academiam nostram Juliam, iste vero gymnasium Hamburgense scriptis atque doctrinis suis ornavit egregie. Obiter hic monendum est, VINC. PLACCIVM cognatione quidem cum FELDENIO nostro coniunctum fuisse: siquidem hic illius materteram, IO. GARMERI, Hamburgensis quondam Syndici filiam in matrimonio habuit; sed iustissimam tamen reputari eam laudem posse, quam vir laudatus idemque a fucio alienus FELDENIO tribuit, qua data cunque occasione, & nunquam sine gratae mentis significatione confesus, *ab illo se se iurisprudentiae naturalis prima elementa nec non rem quancunque adcurate demonstrandi methodum accepisse.*

Quum suaviter in otio negotioso maximaque cum gloria consenescere FELDENIO contingeret, quam insigniter non in schola tantum, sed praesertim etiam in foro fructuosa sint, quae iuris philosophiae impenduntur, studia, bene multis iisdemque praeclaris specimenibus demonstrare is studuit. Instar omnium esse *de actionibus realibus & iurisdictione territoriali* commentarius ille potest, quem ex amplissima librorum Feldenianorum, ab illustri auctore sibi concreditorum, suppellestile vir consultissimus IO. WOLFG. ROSENFELDIVS J. V. L. & praefectus Cizenfis olim publicavit. (kk) Complura FELDENI

NI

(ii) Vid. IVST. CHRISTOPH. BÖHMERS in vita CASP. CÖRBERI, quae extat in *memoriis professorum eloquent. helmstad. a C. A. HEVMANNO Göttingae 1733.* 4. editis pag. 45. sq.

(kk) Francof. & Lips. 1690. 4. Honorificum de hoc libro iudicium extat in *actis erudit. lips.* an. 1690. pag. 631. (cui tamen numero perperam 607. substitutus esse deprehenditur.)

NI scripta nondum in lucem prodiisse, academiae Juliae causa nos dolemus; qui Feldenianae laudis partem aliquam huic vindicandam esse arbitramur.

Haecenus de mathematico medico, & philosopho, nec non de mathematico JCto verba fecimus. Juvabit nunc, nisi vobis molestum fuerit, AUDITORES, de mathematico theologo, itidem praeclaro Helmstadiensium Professore, quanquam breviter differere. Scilicet quae decem ante annos FELDENIVM dederat, alma Vitebergensium academia, ea nostram sibi Juliam novo quasi munere devinxit, quum eidem SIGISMVNDVM HOSEMANNVM, haud indignum FELDENI in mathesi docenda successorem subministravit. Poterat equidem a maioribus suis, ABRAHAMIS videlicet HOSEMANNIS, altero quidem historico & poëta, altero chiliarcho caesareo, nosster commendari: (II) sed quid opus est alienis laudibus decorare illos, qui propriis haud destituuntur? Quo planius autem quid laude dignum in vita sua HOSEMANNVS egerit, intelligatur, summatim perstrinxisse vitae ipsius historiam decebit. Locus natalis Cervimontium (Hirschberga) Silesiorum, thermis clarum oppidum ipsi contigit, anno superioris seculi circiter trigesimo. Parentem habuit non quidem litteratum, sed honestum tamen, SIGISMVNDVM HOSEMANNVM, chirurgum, LAURENTII, Laubanen-

Sigism.
Hosemannus.

(II) Vid. M. GOTTER. HOFFMANNI Lebens-Geschichte aller Evangelischen Pastorum primariorum, die von Anfang der Reformation in der Churfürstlichen sechsstadt Lauban gelehret und gelebet haben. Lauban. 1707. 8. pag. 159. 199.

banensis quondam senatoris, filium. Ferme duplex autem nostro tribui patria solet; Hirschberga nimirum, quae genuit, ac Laubana Lusatiae, quae puerum aluit artibusque ad humanitatem informavit. (mm) Digne comprehensis, quae pueritiae atque adolescentiae conveniunt, doctrinis, inclytam ad Albim academiam HOSEMANNVS petiit, nihil quidquam eorum intermittens, quibus doctrina eximia & summorum benevolentia virorum impetrari posset. Habita igitur sub AEGIDII STRAVCHII, valde quidem inuenis tunc, sed egregii tamen mathematici, praesidio *de computo Turcico Arabico & excidii Constantinopolitani anno dissertatione*, (nn) editisque aliis doctrinae atque ingenii speciminibus egregiis, (oo) haud difficulter effecit, ut a SCHARFIIS, SPERLINGIIS, NOTTNAGELIIS, praeclaris tunc Vitebergensium doctoribus, non magistri solum honore, sed munere quoque professorio dignus idem haberetur. Neque vero Vitebergensibus tantum, sed Iuliis quoque professoribus, horumdemque commendatione SERENISSIMIS etiam academiae IVLIAE NVTRITORIBVS desiderabilis visa fuit HOSEMANNI virtus atque in explicandis rebus

D

mathe-

(mm) Vid. HOFMANNVS loco iam iam citato.

(nn) ad d. 26. Febr. an. Chr. 1653. seculari quippe, qui erat II. Rab. VIII. dies anni hegriae M. LXIII. Recula est dissertatio haec anno. 1661.

(oo) Extat inter alia *dissertatio quaedam physica* a M. SIGISM. HOSEMANNO, *Hirschb. Siles. S.S. theol. Stud. Vitebergae* an. 1655. *habita de animae rationalis essentia, facultatibus & unitate in homine.*

mathematicis sollertia. Idcirco mathematici provin-
cia, FELDENI abitu (pp) vacuefacta, anno superioris
seculi octavo & quinquagesimo clementissime ipsi
fuit demandata. In collegium professorum ab HENR.
BINNIO, ICto, academiae tunc Prorectore, (qq) in
ordinem philosophorum (rr) a IO. HORNEIO, grae-
cae linguae Professore ordinisque illius tunc Decano,
solenniter cooptatus HOSEMANNVS in tractan-
dis mathematicorum disciplinis ita versatus semper
est, ut modo breviter omnes, modo singulas prolixè,
nullas non perspicue studiosis traderet. Laudabili-
ter sic confecto inter musas IVLIAE octennio, quod
duplici quidem decanatu, (ss) variisque scriptio-
nibus ad mathesin spectantibus (tt) decoratum est,
anno superioris seculi sexto & sexagesimo academi-
cum mathematici cum sacro superintendentis mune-
re, ipsumque Helmstadium cum Gifhornia noster
commutavit. Ne qua autem fortassis animum cum
sede sua mutasse pristinumque IULIAE suae amorem
penitus deposuisse videretur, SIGISMVNDVM filium
natum maximum, ex MARGAR. STRAVCHIA, (uu)
AEGID.

(pp) anno 1655.

(qq) d. 29. April. an. 1658.

(rr) d. 10. Maii eiusd. anni.

(ss) Primum decanatum an. 1661. a mense Augusto usque ad 3.
Id. Ianuar. 1662. alterum a m. Iul. 1664. usque ad d. 7. Ianuar.
1665. gessit.

(tt) Vid. *index operum eius* circa finem commentationis huius
exhibitus.

(uu) Vid. *programma in funere filiolae viri clar. atque excell. Dn.
M. SIGISM. HOSEMANNI mathem. in acad. Iulia P. P. O.
Helmst. 1659.*

AEGID. STRAVCHII Vitebergensis sorore, ni fallor, susceptum, quique postmodum Cellensis ecclesiae pastor scriptisque clarus exstitit, professoribus Iulius erudendum laureaue philosophica decorandum (xx) honestissimo certe consilio commendavit. Circa mortem ipsius, quae in seculi praesentis annum primum incidit, illud inprimis memorabile videtur, quod uno eodemque die, una eademque hora, qua filius Cellis, idem Gifhorniae anno aetatis septuagesimo primo exspiravit. (yy)

Atque haec habui, AUDITORES, de DVNCA-
NO LIDDELIO, mathematico medico, HENRICO
SCHAPERO, mathematico philosopho, IOANNE
FELDENIO, mathematico Jcto, & SIGISMUNDO
denique HOSEMANNO, mathematico theologo, quae
dicerem. Sed quo tandem iure quoque consilio a ma-
thematicorum laudibus academici regiminis primor-
dia quaeso capiuntur? Optimo sane, & nisi me om-
nia fallunt, perquam salutari. Sermo videlicet mi-
hi est apud illos, *qui velut ex officio singuli atque omnes
sunt mathematici.* Aenigmata fortassis loquor, CI-
VES ORNATISSIMI; sed verissima tamen sunt, quae
statuo. Egone vero persuasum habeam, vel exo-
ptem, Vestrum neminem, COMMILITONES, eius

D 2

disci-

(xx) Namque SIG. HOSEMANNVS filius, d. VI. Nov. an. 1684.
una cum IVSTO WITTERO, Hildes. Past. nec non cum IO-
KILIANI, in episc. Hildes. Past. a IO. BARTH. NIEMEIERO,
philos. prim. Prof. P. O. et fac. philos. tunc decano, philosophiae
magister creatus est, testantibus id ipsum *fac. phil. actis.*

(yy) Notavit hoc ipsum G. HOFMANNVS loco superius citato.

disciplinae, quae quantitatis scientiam complectitur, ignarum vel expertem aut in academiam venisse, aut ex eadem discessurum? Optime profecto non modo cum scholis atque academiis, sed cum rebus publicis etiam comparatum foret, id exoptare vel persuasum habere mihi si liceret. Mirificum atque ineffabilem partim in acuendis hominum ingeniis, partim in iuvandis reliquarum disciplinarum studiis, partim & vel maxime in sustinendis vitae communis necessitatibus atque compendiis doctrinarum mathematicarum usum esse, sciunt atque ingenue fatentur omnes, qui sapiunt. (zz) *Igitur, ut nemo, nisi a doctrinis mathematicis digne instructus academiam ingrediatur, nemo saltem ex eadem expertis illarum egrediatur, suprema lex esse civium academicorum debebat.*

Faciamus autem, quin potius fingamus, Vestrum aliquos a studiis mathematicis usque adhuc abstinuisse: abhorreere enim flagitiosum foret atque inhumanum; nihil tamen obest, quo minus ego Vos, CIVES HUMANISSIMI, *singulos atque omnes publice nunc salutem rituque solenni renunciem mathematicos.* Nostis enim vero, magnitudinis ac numerorum scientiam simplici & communi, sed eo tamen satis magifico *matheoseos* vel *disciplinae* vocabulo propterea insignitam esse a sapientibus, quod ipsius auctores

(zz) Conf. de mathematicum praecognitis commentatio, historico-dogmaticae ad matheosin introductioni nostrae praemissa.

ctores dignam disciplinis, h. e. summam in eadem tractanda sollicitiam atque adcurationem adhibuerunt: idcirco *mathematicum*, pro nativa vocabuli significatione, eum rite vocari posse atque oportere, qui maxime *doctrinalis* est ac *disciplinosus*, vel, ut planius rem expediam, *qui maxime iustam atque adcuratam cum studiorum, tum & praecipue morum ac negotiorum suorum quorumvis adhibere satagit rationem. Magis igitur, quam Vos, Cives Studiosi, mathematicus sive disciplinosus ac moratus esse qui possit, qui velit, qui debeat, nemo unus fingi, nedum existere unquam potest.* Vobis enimvero, qui nobiles animas vestras nobilis sapientiae studiis consecratis, Vobis, inquam, de divino numinis consilio, de parentum votis, quin imo de nobilissimo nomine vestro id muneris profecto datum est, ut ad religiosae pietatis, ad continentiae, pacis ac iustitiae, denique ad sanitatis ac vitae, summa: *ad humanae felicitatis sacrosanctam disciplinam non voce tantum & calamo, sed & vel maxime vestro exemplo digne olim instituere alios studeatis.* Vestrum nemo est, ut confido, **CIVES CVLTISSIMI**, qui eo vesaniae vel impudentiae processerit, ut decenter ac sine probro ad honestam pietatis ac prudentiae mathesin sive disciplinam se alios instituturum speret vel somniet, nisi ipsemet a puero, cum primis autem in scholis atque academiis mathematicus, hoc est adprime disciplinosus optimeque moratus esse didicerit. Scio

Scio equidem, Vos omnes ac singulos *dignationis ac libertatis studiosorum academicae* cupidos vehementer esse ac pertinaciter studiosos; sed tantum tamen abest, ut propterea Vobis ego succenseam, aut mea vel academiae causa doleam, ut maximopere potius laeter vestrisque faveam postulatis ac desideriiis. Neque enim generosa indoles vestra me dubitare finit, quin plane Vobis persuasum fit & compertum, *verae libertatis atque dignationis studiosorum academicae usque adeo suavem esse velutique sororiam cum liberali atque honesta disciplina necessitudinem, ut neutra illarum esse vel consistere sine altera queat.* Nostis, COMMILITONES, academiam non ferocitatis atque ignorantiae, sed eruditionis sapientiaeque arcem; non rixarum atque altercationis, sed humanitatis, modestiae atque amicitiae palaestram; non voluptatis luxuriosae, sed virtutis ac probitatis officinam esse. Nostis, praeter consuetam docendae matheos provinciam *sub Vice Rectoris academici titulo atque hoc ipso pallio novum mathematici munus mihi traditum esse, legum videlicet academicarum, quibus mores ac studia civium studiosorum contineantur, religiosam custodiam, iurato iureiurando sanctissimo fideliter a me susceptam.* Nostis denique, singulos atque omnes Vos esse *iuvenes mathematicos*, aut, si forte

te mavultis, *vivas disciplinae liberalis h. e. prohibitatis, sapientiae ac virtutis imagines. Salverte igitur, o nobiles atque amantissimi in divinae mathefeos sive salutaris disciplinae studio sodales nostri & commilitones! firmiterque confidite, me Vobis sincerum ac fidelem fore mathematicum; non iudicem, non praesidem, non consultorem, non tutorem, non amicum, non patrem; sed omnia.*

Quo dignius autem in expediendis, quae ad tuendam disciplinam ac felicitatem academicam spectant, negotiis versari una cum iuvenibus mathematicis meis ego possim, *Vestram*, PATRES CONSCRIPTI, FAUTORES ET COLLEGAE CONIUNCTISSIMI, *Vestram* inquam humanitatem ac benevolentiam, qua decet ac par est, observantia imploro, atque ut providis consiliis Vestris mea iuvare qualiacunque studia nunquam desistatis, per IULIAE CAROLINAE nostrae florem ac salutem, imo vero per fidem atque in conservanda salutari disciplina prudentiam ac sollertiam Vestram, publice Vos rogo atque obtestor. Non mea, sed Vestra erit, si quam sperare vel impetrare licuerit, laudabiliter gubernatae civitatis academicae gloria. Voluptatis interim cum Vestra vel nostra ipsiusque IULIAE CAROLINAE gloria coniunctae partem maximam, quod felix & faustum sit! non sine iusta causa, ex officio nimirum, ego mihi vendico.

De

De cetero supremum idemque optimum Dei numen, cui vita & salutaris disciplina omnis, cui item sapientia, virtus ac felicitas acceptae referendae sunt, supplex ac devotissima mente nunc veneror, velit idem, pro immensa benignitate sua, vegetas corporis atque animi vires usque mihi concedere. Velit etiam honesta quaevis studia, consilia atque instituta nostra, cum ad divinae maiestatis suae gloriam, tum etiam ad litteratae civitatis nostrae florem exoptato semper fructu beare!

Servet nobis, precamur, Deus O. M. SERENISSIMUM PRINCEM AC DOMINUM NOSTRUM DOMINUM CAROLVM, BRVNOV. AC LVNAEB. DVCEM, HERVM NOSTRVM LONGE CLEMENTISSIMUM, IVLIAE CAROLINAE NVTRITOREM MVNIFICENTISSIMUM: Cuius profecto salus atque incolumitas nostrae salutis atque incolumitatis firmamentum est; quique pro summa sapientia providissimaque publicae felicitatis cura sua, nunquam, ut speramus, permittet, ut de iucundissima, quae IVLIAM CAROLINAM usque adhuc aluit, novae gloriae expectatione, nedum de pristina academiae gloria triumphare iis liceat, qui ex musarum contentu gloriam sibi quaerunt atque existimationem.

Servet divina Numinis optimi benignitas REGIAE CELSITVDINIS PRINCEM AC DOMINAM, DOMINAM PHILIPPINAM CAROLINAM, SAPIENTISSIMI PRINCIPIS SAPIENTISSIMAM CONIVGEM,

IVGEM, una cum SERENISSIMO excellaeque
mentis ac virtutis PRINCIPE HAEREDITARIO;
nec non cum universa GENTE GVELPHICA, ma-
xime omnium gloriosa, quam diutissime salvam at-
que incolumem!

Servet Numen optimum aulae ducalis PROCE-
RES ipsiusque REGIMINIS ADMINISTROS ILLV-
STRISSIMOS! musarum & cumprimis Academiae
IVLIAE CAROLINAE MAECENATES
gratiosissimos!

Tum salvos etiam Deus O. M. praestet Vos,
PATRES CONSCRIPTI, FAVTORES ET
COLLEGAE CONIUNCTISSIMI! Vos in-
quam ILLVSTRES ATQVE EXCELLEN-
TISSIMI, OPTIMARVM QVARVMVIS DI-
SCIPLINARVM DOCTORES! Deus O. M.
salvos praestet atque incolumes! ut non hilariter
solum & cum profectu vestris fungi muneribus, sed
propediem quoque iis compendiis atque ornamen-
tis, quae principalis clementia dudum nobis de-
stinavit promissitque, una mecum perfrui Vobis
contingat!

Tandem etiam Deus O. M. IVLIAM CARO-
LINAM nostram fatis acerbissimis hactenus contri-
statam, una cum eiusdem CIVIVS STUDIOVIS,
generis, doctrinae atque ingenii laude florentissi-
mis, benignissime respiciat! faxitque, ut & ipsa
E

quam primum novis iisdemque praeclaris doctoribus, novis item ornamentis amplificetur! & eximia tandem sapientiae ac virtutis suae laude, publico non minus quam proprio suo commodo, nobilitentur
tur *suavissimi Commilitones
mei mathematici!*

D I X I.

INDEX SCRIPTORVM

DVNCANI LIDDELI

1. Propositiones astronomicae de dierum & annorum differentiis & causis, publice ad disputandum propositae, respond. IO. POTINIO, *Verdensi* *) Helmst. 1591.
2. Disp. de philosophia eiusque instrumentis, respond. CORN. MARTINO, *Antverpio*, **) 1592.
3. Disp. I. (*in IVtum meteororum de mistorum affectionibus ob primas tactiles qualitates*) de misti generatione eiusque corruptione naturali, quae putredo dicitur, respond. ADAMO LVCHTENIO, *Huxariensi*, ***) 1593.
4. Disp. de elementis elementorumque mutua permutatione & mixtione, respond. PETRO RVTHANO, *Finnone*, 1596.

5: The-

*) graecae linguae postea in hac academia professore.

**) logices postea in hac academia professore.

***) medicinae postea in hac academia professore.

5. Themata de melancholia, pro licentia consequendi gradum doctoris in medicina, publice examinanda proposita, praeside FRANC. PARCOVIO. 1596.
6. Disp. de methodo medendi & officiis medici, respond. M. A. N. D. ADAMIO, e *Salinis heroum*. 1598.
7. Disp. de natura & facultatibus medicamentorum, resp. HENR. LOSS, *Dantiscano*. 1601.
8. Disp. de compositione & praeparatione medicamentorum, resp. EMAN. SCHRECKENFVCHS, *Mulbus. Alsat.* 1601.
9. Disp. de arthritide, respond. HENR. MVLPHORT. *Vratisl. Siles.* 1601.
10. Progr. in funere VALENT. SCHINDLERI, *ling. ebr. professoris Helmst. ad.* 1604.
11. Progr. in fun. M. NIC. VOLCERI, *eccles. Helmst. ministri.* 1604.
12. Disp. inaug. de feбри hectica, respond. M. MICH. HORTELIO, *Erfurdiensi.* 1605.
13. Disp. inaug. de convulsione, respond. ALB. VLRICO, *Soltquell.* 1605.
14. Disp. inaug. de paralyfi, respond. HERM. BECKER, *Goslarienti.* 1605.
5. Ars medica succincte & perspicue explicata. Hamburgi 1607.

Praefixa est, praeter ipsius D. LIDDELI ad IACOBVM I. M. B. regem, cui quidem dedicatus est liber, epistolam, IO. CASELII ad IO. CRAGIVM, reg. brit. archiatrum, epistola, Helmst. 1607. Cal. Mai. per scripta. Iterata, sive, quemadmodum titulus habet, ultima eius (artis medicae) editio an. 1628. adornata est cum accessionibus. vid. supra pag. VIII.

16. Tractatus de dente aureo pueri Silesii contra HORSTIVM.

Subnexus est tractatus hic arti medicae iterum editae, ceu supra pag. VIII. notavimus. Et HORSTII quidem, Helmstadiensis quondam medici, circiter an. 1600. vita functi, libellus a LIDDELIO, pristino eius collega, heic resutatus hunc praefert titulum: IACOBI HORSTII, D. de aureo dente maxilla-

1. pueri Silesii, primum utrum eius generatio naturalis fuerit, nec ne; deinde an digna eius interpretatio dari queat? & de noctambulonum natura, differentis & causis, eorumque tam praeservativa, quam etiam curativa, denuo auctus liber. Lips. 1695. 8.

17. De febribus libri tres. Hamburgi. 1610. 8.
 18. Epistola ad Seren. Principem HENRICVM IVLIVM, Br. ac Lumb. Ducem, nempe de 4. philosophorum (IO. CASELII, DVNC. LIDDELI, OVENI GVNTHERI & CORN. MARTINI) cum DAN. HOFMANNO controversia. exstat illa apud ALB. GRAVERVM in libello de unica veritate, Jen. 1665. quartum ed. pag. 90.

INDEX SCRIPTORVM

IOHANNIS A FELDEN.

1. Compendium doctrinae sphaericae, Helmstad. 1637. 1653. 1658. 8.
 2. Tractatus de enunciationibus & fyllogismis, cum absolutis, tum inprimis modalibus, quo universa haec doctrina suis cum demonstrationibus ad veram mentem ARISTOTELIS traditur, ed. a GERH. MEIERO, Brem. (cum praefat. auctoris) Helmst. 1642. d.
 3. Disp. mathem. de ratione & analogia, respond. FRID. HILDEBRANDO, P. C. Walckenred. Helmst. 1641.
 4. Disp. philos. continens quaestiones miscellan. (*mathemat. & phys.*) Helmst. 1646.
 5. Architectura militaris aus dem ERETTAGIO und andern guten Auctoribus zusammen gezogen. Braunsch. 1648. 4. c. fig.
 6. Ars geometrica, Helmstadii primum, dein Bremae: 1652. 8. denique tertium Jen. 1690. d. edita, figuris in prioribus editionibus omissis & problematibus aucta a D. R. mathem. cultore.
 7. Disp. de potissimo scientiae principio, seu definitione, respond. HENR. TOLLENIC, *Göttingensi*, Helmst. 1653.
 8. Disp.

8. Disp. ad institutiones imperiales I. de fine & officio JCI variisque iuris speciebus. Helmst. 1652.
9. Disp. in institt. II. de iure personarum & potestate domestica. Helmst. 1653.
10. Annotata ad HVG. GROTIUM de iure belli & pacis. Amst. 1657. d.
11. Analysis librorum politicorum ARISTOTELIS. Frf. 1654. d.
12. Annotata ad HVG. GROTIUM de iure pacis & belli, quibus immixtae sunt responiones ad stricturas GRASWINCKELII. Jen. 1663. d.
13. Elementa iuris universi & in specie publici Justiniani. Frf. & Lips. 1664. 4.
 Conf. B. G. STRUVII *bibliotheca iurid.* pag. 256. item VINC. PLACCH *theatrum anonymorum*, Hamb. 1708. a. I. A. FABRICIO *editum* pag. 279. n. 1034.
14. Observationes und Iudiciũ von dem neuen Stern. (Cometen) Braunsch. 4. c. fig.
15. Speculatio physica de peste, quae subnexa est F. GÜNTHER. KIRCHEIM tractatui med. de peste. Hal. 1681. d.
16. Compendiosae manuductionis ad iurisprudentiam romanam sectio prima, a MATTHAEO STIERIO J. V. L. cum praef. ed. Helmstadi 1683. d. Sectio II. Francofurti & Lipsiae 1685. prodiit.
17. Tractatus de scientia interpretandi cum in genere omnes alias orationes, tum in specie leges romanas, opus quinquaginta & quod excedit annorum. Helmstad. 1689. 4.
Praefatio auctoris libro huic praefixa Halae Sax. scripta est.
18. De actionibus realibus commentarius, in primis de iurisdictione territoriali (von Landesfürstl. hoher Obrigkeit) accurante L. IO. WOLF. ROSENFELD, Franco. Francof. & Lips. 1690. 4.
Honorificum de libro hoc iudicium exstat in actis eruditor. Lips. an. 1690. pag. 607.
19. Totius terrae sanctae delineatio tabulis IV. comprehensa.

INDEX SCRIPTORVM
SIGISMVNDI HOSEMANNI.

1. Diff. chronolog. de computo turcico-arabico & excidii constantinopolitani anno. Viteb. 1653. AEGID. STRAVCHIO praefide habita, ibidemque an. 1661. recusa.
2. Disp. physica de animae rationalis essentia, facultatibus & unitate in homine, respond. WOLFG. CHRISTOPH. WENNERO, *Creilsbem. Franco*, Viteb. 1655.
3. Diff. geograph. de divisione globi terrestris in quinque Zonas, & variis Zonarum apparentiis, respond. HENR. CELLARIO, *Rudolphstad. Thuring. Helmst.* 1662.
4. Discursus de via lactea, respond. auctore LVDOLPH. GE. LVNDE ad disput. propositus. Helmstad. 1665.



PRORECTORATVS ACADEMICI
MATHEMATATA ATQVE EXPERIMENTA

QVAEDAM

SVB MAGISTRATVS ACADEMICI

FINEM

SOLENNI ORATIVNCVLA

D. II. IANVAR. ANN. MDCCXLVIII.

IN IVLEO MAIORI

STRICTIM RECENSITA

A

IO. NICOLAO FROBESIO

MATHEM. AC PHILOS. P. P. O.

P R O R E C T O R
 A C A D E M I A E I V L I A E C A R O L I N A E
 I O H A N N E S N I C O L A V S F R O B E S I V S
 C I V I B V S S V I S


S. P. D.



inter bona verba ista, quae dicere Vobis, Cives amantissimi, hodiernae lucis exquisita dignitas & communis laetitia iubent, sane haud postremum, imo vero principem quodammodo locum obtinet Vobis pariter atque Nobis iucundissima solennitas, & huius quidem, uti speramus atque exoptamus, saluberrimae magistratus academici vicissitudinis significatio. Feliciter enimvero per divinam Numinis benignitatem finitus sex istis mensibus, quibus ego, legis atque ordinis ductu, litteratae civitatis huius magistratum atque curam sustinui, novus Vobis, o Optimi! destinatus Praeses est atque Parens, Vir nimirum doctrina atque ingenio Excellentissimus, meritis item ac munere suo maxime Venerabilis CHRISTOPHORVS TIMOTHEVS SEIDELIVS, s. s. THEOLOGIAE DOCTOR, FIVSDEMQUE PROFESSOR PRIMARIVS LONGE CELEBERRIMVS, COENOBII IMPERIALIS LIBERI REGIO-LOTHARIENSIS ABBAS, SVPERINTENDENS GENERALIS, ET PROT-ECCLESIASTES ELMESTADIENSIS FIDELISSIMVS, COLLEGA NOBIS CONIUNCTISSIMVS MAXIMEQUE VENERANDVS. Huic igitur tanquam novo Iuliae Carolinae huius ProRectori, Senatorum academicorum suffragiis rite electo, SERENISSIMIQUE PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI CAROLI, BRVNOVICENSIVM AC LVNAEBVRSIVM DVCCIS REGENTIS, IVLIAE CAROLINAE SVAE NVTRITORIS MVNIFICENTISSIMI, HERI NOSTRI CLEMENTISSIMI LITTERIS CLEMENTISSIME CONFIRMATO, MAGISTRATVM ACADEMICVM, quaeque huic propria sunt munera atque insignia more atque ritu solenni crastino die circa horam X. ante meridiem in Iulio maiori ego sum traditurus. Vestrum est, Cives humanissimi, quantopere MAGNIFICVM VENERABLEMQUE SEIDELIVM, perquam benignum illum & suo quodam iure amabilem praeter ceteros Parentem vestrum colatis ac suspiciatis, quam impense item Nobis favetis, Vestra omnium praesentia atque attentione demonstrare, cumprimis autem SERENISSIMI CAROLI NOSTRI, IVLIAE CAROLINAE NVTRITORIS MVNIFICENTISSIMI, nec non ipsius academiae huius salutem atque incolunitatem perpetuam, singulis atque omnibus nobis maxime desiderabilem, calidissimis precibus una Nobiscum Deo T. O. M. committere. His ita valere ex sententia, mibique in posterum etiam favete. P. P. Helmstadt I ipsis Calendis Ianuar. anno post C. N. MDCCXLVIII.

ORATIO
SVB MAGISTRATVS ACADEMICI
FINEM HABITA

MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR
DESIGNATE
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
FAVTORES ET COLLEGAE PLVRIMVM COLENDI
HOSPITES OMNIVM ORDINVM
HONORATISSIMI
CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMI
NOBILISSIMI QVE
FAVTORES ATQVE AMICI LONGE
SVAVISSIMI.

uanquam varia & multiplicia ista, quae
coniuncta esse cum magistratu academico
solent, negotia, imo vero negotiola atque
impedimenta mirifice meos turbaverint
circulos, meque totum ferme ab iis studiis, quae
muneri meo professorio peculiaris sunt, abstraxe-
rint; diffiteri tamen nequeo, & si vel maxime pos-
sem, nolo, haud contemnendos me in matheseos
atque experimentalis philosophiae studiis per seme-
stre spatium hoc fecisse progressus. Nostis, AVDI-
TORES, quod proverbio dicitur, *παθηματα μαθηματα*
esse, quaeque passim nobis obveniunt, sive ea prosint,
A
sive

five obfint, rite confideratis omnibus, nos docere faluberrimisque prudentiae regulis animum inſtrueret. Latius enimvero *mathemata* patent, quam menſurandae quantitatis artificia; neque *experimentalis* etiam *philofophiae* dogmata ſoli corporum five rerum naturalium contemplationi vel tractationi propria ſunt: quin potius ad res divinas atque humanas in univerſum omnes, ideoque etiam ad negotia vel inſtituta academica ſe ſe extendunt. Veriſſime igitur & fortassis plane ad veſtram, AUDITORES, ſententiam ego iudicavero, ſi proreſtoris academici officium continuis utique cum experimentis ac mathematis copulatum eſſe dixerō.

Theologum equidem ſine oratione, meditatione ac tentatione nunquam fieri quenquam poſſe, ſententioſe admodum cordatus ille purioris theologiae inſtaurator, MARTINVS LVTHERVVS pronun-
ciavit. Tametſi autem theologi atque academiae proreſtoris diverſa ſunt negotia; tamen, ſi formationem atque adminicula, nec non prudentiam, five reſ ſalutares decenter expediendi promptitudinem, in actuoſa hominum vita omni neceſſariam reſpexeris, gemina plane five admodum ſimilis utrorumque conditio videtur. *Palmaria igitur maximeque neceſſaria proreſtoris academici requiſita vel officia in oratione, meditatione, nec non in tentatione*

tatione reposita esse, haud obscure, qui sapiunt, quique rerum academicarum vel mediocriter etiam gnari sunt, omnes intelligunt.

Et materia quidem mathematicis atque experimentis academicis, hoc est, contemplandi vel observandi, meditandi, tentandi, quid quod tentationes digne sustinendi, tandemque sapiendi exercitamentis commoda, in magistratus academici negotiis multiplex est & quam maxime varia. Partem scilicet *Cives Studiosi*, partem *Senatores & Collegae*, partem *Summi Principes*, partem denique *fata*, academiis cum civitatibus atque rebus publicis ceteris communia, & maximo sane cum profectu, si circumspicte singula tractentur, subministrant.

Nolo quidem, quum brevitati studendum est, prolixè nunc & singulatim ea commemorare mathematica atque experimenta, quibus occupari, quibus item exerceri in utramque partem, & quibus denique praeclaram sibi comparare prudentiam prorectores academici possunt. Sufficiat paucissima, eademque communia quodammodo, sed ad meum tamen officium seorsim adcommodata, summam ac breviter commemorasse.

Scilicet earum observationum, quas experimen- I.
ta mea prorectoralia sive academica mihi suppeditarunt, prima haec est: *Quemadmodum civitates*
A 2 *atque*

atque hominum res ceterae omnes, sic academiae etiam variis hisdemque mirificis & continuis propemodum obnoxiae sunt vicissitudinibus.

Si speciatim IVLIAM CAROLINAM nostram circumspicio, sic omnino statuendum censeo:

Nunquam bella piis; nunquam certamina desunt.

Et quocum certet, IVLIA semper habet.

Sed passim tamen istiusmodi phaenomena quaedam me observare memini, quae secundum nobile illud: *dabit deus his quoque finem*; imo vero: *deus providebit*; calamitatis finem propinquum fortunamque meliorem significare musis helmstadiensibus videantur.

Altera experimenti mei academici pars sequenti II. fere pronunciato continetur: *Voluntatis ac potestatis regiae seu principalis mirifica circa academias harundemque florem atque incrementum vis est in utramque partem.* Si speciatim IVLIAM CAROLINAM nostram respicio, singularibus experimentis quibusdam sensisse atque animadvertisse mihi videor, religioso tantumque non anxio nostro omnium desiderio huic:

Phosphore redde diem! cur gaudia nostra moraris?

Sere-

SERENISSIMUM CAROLVM, VERE AV-
GVSTVM IVLIAE INSTAVRATOREM, IVLIAE-
QVE CAROLINAE SVAE NVTRITOREM MVNI-
FICENTISSIMUM, HERVM NOSTRVM LONGE
CLEMENTISSIMUM propediem & quam abundan-
tissime satis esse facturum.

Tertia observatio mea prorectoralis Vobis acce- III.
pta referenda est, PATRES ACADEMIAE CON-
SCRIPTI, FAVTORES ET COLLEGAE CONIVN-
CTISSIMI. Enimvero quamplurimis & propemo-
dum innumeris, Vestro quidem consilio atque auxi-
lio datis, factis, & promotis experimentis luculenter
ego didici: *ex Senatorum academicorum concor-
dia strenuoque salutem publicam tuendi ac pro-
movendi studio praeclarum academiae orna-
mentum, exquisitumque prorektoris academici
oblectamentum & solatium proficisci.*

Quartum denique mathema atque experimen- IV.
tum academicum Vos, CIVES ACADEMIAE GE-
NEROSISSIMI, NOBILISSIMI, ORNATISSIMI-
QVE, subministratis: quum videlicet studiis atque
moribus vestris, quasi totidem hisdemque conti-
nuis, nocturnis pariter, ac diurnis phaenomenis, non
sine maximo meo gaudio, velutique ad oculum mihi
demonstratis: *ad conciliandos Civium academi-
corum*

corum animos, tum ad continendos etiam corrigendosque ipsorum mores nihil omnino commodius, nihil efficacius, nihil denique amabilius excogitari posse mansueta prorektoris severitate, severaque ipsius masuetudine.

Plura nunc addere temporis angustia prohibet. Quin potius ad vota ceteraque solennia ista, quae hodiernae diei huius solennitati conveniunt, procedendum est.

Supplex itaque nunc ego veneror divinam atque ineffabilem, quae SERENISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM NOSTRUM, DOMINUM CAROLVM, BRVNOVICENS. AC LVNAEBVRGENSIVM DVCEM, IVLIAE CAROLINAE NVTRITOREM MVNIFICENTISSIMUM, DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM, & post Hunc, IVLIAM CAROLINAM ACADEMIAM, una cum singulis atque omnibus eiusdem PROFESSORIBVS ac CIVIBVS STUDIOSIS, & cum nostris denique fortunis benignissime adhuc nos fovit, divini Numinis benignitatem.

Dein mente subiectissima veneror summam atque incomparabilem, quae in hunc usque diem iucundissime nos alit ac sustinet, SVMMI PRINCIPIS, PATRIAE PATRIS ac NVTRITORIS nostri clementiam.

Por-

Porro Vestram, PATRES ACADEMIAE VENERANDI, FAVTORES & COLLEGAE CONIVNCTISSIMI, Vestram inquam humanitatem ac benevolentiam, bene multis hisdemque eximiis speciminibus usque quaque mihi ostensam, gratus nunc excusculor.

Denique Vobis etiam, CIVES ACADEMIAE LECTISSIMI, DILECTISSIMIQUE, Vobis inquam me valde obstrictum agnosco pro singulari, quo me hactenus beatis, felicitatis genere: dum videlicet perquam laudabili sollertia, modestia atque humanitate vestra effecistis, ut omnis propemodum difficultatis ac molestiae expers, imo vero iucundissimum fuerit, quod per sex hosce menses sustinui, prorectoris academici officium.

Hoc lubentius autem atque laetius ego nunc de mea decedere provincia possum, quo magis & providus, & cordatus, & benignus denique ille est, cui vestram, CIVES AMANTISSIMI, salutem atque dignitatem una cum ipso munere meo tradere nunc adgredior.

Est nimirum is VIR MAXIME VENERABILIS ATQUE EXCELLENTISSIMVS CHRISTOPHORVS TIMOTHEVS SEIDELIVS s. s. THEOLOGIAE DOCTOR EIVSDEMQUE PROFESSOR PRIMARIVS LONGE CELEBERRIMVS,
Coe-

COENOBII IMPERIALIS LIBERI REGIO-
LOTHARIENSIS ABBAS, SUPERINTENDENS
GENERALIS ET PROT-ECCLESIASTES ELME-
STADIENSIS LONGE FIDELISSIMVS, FAVOR
ET COLLEGA NOSTER CONIUNCTISSIMVS.

Hunc enim Senatores academiae venerandi mo-
re consueto & suffragiis concordibus, a SERENISSI-
MO PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO, DOMINO
CAROLO ratis habitis, academiae prorectorem in
semestre proximum elegerunt. Quem ipsum equi-
dem si vestrum dixerō *parentem*, omnia, nisi fal-
lor, dixerō: siquidem maius aut nobilius quidquam
dici cum ad iustissimas ipsius laudes, tum ad ve-
stram quoque laetitiam atque obedientiam nihil
omnino potest.

Facit enim vero incomparabilis Tua, VIR MA-
GNIFICE, rerum divinarum atque humanarum sci-
entia; facit maxima prudentia, facit denique admira-
bilis Tua in tractandis rebus arduis dexteritas atque
animi moderatio, ut praeclaram singuli atque omnes
de Tuo magistratu spem animo conceptam merito
habeant. Ages igitur adscende in hanc cathedram,
& quam SERENISSIMI PRINCIPIS AC
DOMINI nostri auspicio SENATORES tibi desti-
narunt, quamque ~~ante~~ ante sex hosce menses, non si-
ne mirifica benevolentiae atque humanitatis signifi-
catio-

catione mihi tradidisti, eam vicissim nunc a me humaniter quaeso recipe litteratae civitatis huius gubernationem.

Quod igitur felix & faustum sit! suscipe quaeso humeris tuis principem principalis muneris indicem, *purpuram*. Accipe mox *sceptra & sigilla*, utraque gemina. Accipe porro *codicem* geminum: quorum altero quidem statuta & privilegia, altero autem Civium academicorum nomina continentur. Denique *claves* etiam quaeso accipe. Non multa quidem ista, sed eximia tamen, quae *prorectori academico* conveniunt, potestatis, prudentiae atque fidelitatis partim *symbola*, partim *instrumenta*.

Salve igitur nunc, MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR! quodque solenniter TIBI iam tradidi prorectoris officium, id ipsum feliciter Tu ex Tua ipsius, imo vero ex nostra omnium sententia sustine!

Servet interim, precor, Deus O. M. SERENISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM NOSTRUM, DOMINUM CAROLUM, BRUNSVICENSIVM AC LVNAEBVGENSIVM DVCEM REGENTEM! Servet inquam divina benignitas PATRIAE PATREM AC NVTRITOREM NOSTRVM INDVLGENTISSIVM, VNA CVM REGIAE

B

Celsi-

CELSITVDINIS CONIVGE, CVM SERENISSIMO
PRINCIPE HEREDITARIO, ET CVM VNI-
VERSIS DENIQVE GVLFORVM GENTIS AVGV-
STISSIMAE DELICIIIS ATQVE ORNAMENTIS
QVAM DIVTISSIME SALVVM, FELICEM, INCO-
LV MEM!

Servet item Deus O. M. ILLVSTRISSIMOS
PRVDENTISSIMOSQVE AVLAE DVCALIS PROCERES,
GRATIOSOS istos litterarum ac litteratorum MAECENA-
TES, omnigenae felicitatis genere cumulatifimos!

Servet porro Deus O. M. MAGNIFICVM ACA-
DEMIAE PRORECTOREM! Servet singulos atque
omnes eruditae civitatis huius non modo PRO-
FESSORES, sed CIVES quoque STUDIOSES usque
quaque sospites ac fortunatos! Servet universam
academiam IVLIAM CAROLINAM! Servet deni-
que ELMESTADIVM, IVLIAE CAROLINAE
ACADEMIAE hospitium!

Faxit tandem Deus O. M. per divinam providen-
tiam atque benignitatem suam, ut amplissima, quae
hactenus nos aluit, spes atque exspectatio nostra pro-
pediem & quam felicissime adimpleatur! Tuoque,
VIR MAGNIFICE, sub magistratu novam diuque
desideratam, imo vero pristinam suam

IVLIA CAROLINA adipiscatur
gloriam! Dixi.



SIMO
VNI-
AVGV-
NTIS
NCO-

IMOS
ERES,
CENA-
mos!
ACA-
atque
PRO-
usque
erfam
deni-
INAE

viden-
, quae
a pro-
oque,
liuque

83801

(x226.0053)





IO. NICOLA
 MATHEM. AC
 ORATIONVM A
 SVB MAGISTRATVS ACAD
 FINEM H
 BI
 Q V A R V M
M A T H E M A
HELMSTA
 MEMO
 ALT
PRORECTORAT
MATHI
 AT
E X P E R I
 COMPRE
 HELM
 TYPIS PAVLI DIE
 ACAD.



Lehrerbücherei
 der
 Oberschule i. J.
 Köthen/Anh.
 Re/F.

